



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de  
Antverpiae, 1610**

10 De cretionum sollennitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

itas, Diuus Hieronymus ad Dardanum, Agarenorum meminit, quos inquit, nunc Sarracenos vocat. Sed & Sarracenos meminit Socrates lib. 4. *hystor. eccles. cap. 36.* quos eadem historiam tractantes appellant Ismaelitas Theodorus lib. 4. *cap. 23.* Sozomenus lib. 6. *ca. 38.* ut plane hinc constat, Sarracenos dictos fuisse Agarenos & Ismaelitas ex eo, quod originem duxerint ab Ismaele, & Agar. Addit Iosephus mortis apud eos fuisse, anno ætatis decimotertio circumcisi, quia & Ismael eo anno ætatis fuerit circumcisi. De ratione nominis eodem chronico Eusebii Matthæus Palmertius Florentinus hæc scribit: Mahometus magnus se æterni Dei prophetam dicens, multos Asiæ, atque Africæ populos comouit, quos noua religione imbuens, Sarracenos ex Dei præcepto vocari dicebat à Sara legitima vxore Abrahæ quasi legitimos diuini promissionis successores. Hæc Palmertius, Diuus Hieronymus ante ipsum illud *Esai. cap. 21.* expulicans, auferetor omnis gloria Cedar: inquit, Ismaelitas debere intelligi Liber generationis docet ex Ismaele & Cedar, Agarenos, qui peruerso nomine Sarraceni vocantur esse gentis. Sozomenus in *d. lib. 6. cap. 37.* hæc diligentius, & aperius tractat. Porro, inquit, Sarracenorū gens primū cognominem ab Ismaele accepto, qui Abrahæ filius fuit, Ismael nomine ab antiquis de primi eorū parentis appellatione vocati sunt. Ut autem maculam illegitimi ortus, & seruitutis notā (serua enim fuit mater illius Agar) à se amolirentur, Sarracenos serpsos nominarunt. perinde atque à Sara Abrahæ contigite stirpem ducerent. Caterum seriem generis inde trahentes eodem cum Iudæis viuendi more vtuntur. Nam circumcissionem ita vt illi colunt, & à suillis carnis abstinere, multaque præterea illorum instituta seruant. Quod si non ex omni parte iuxta illorum ritus viuunt, aut tempore id adscribendum est, aut finitiorum populorum, qui de eis immiscuere confusio. Quæ quidem verba ferme repetit Nicephorus lib. 11. *eccl. hystor. cap. 47.* Diuus Hieronymus super Ezechielem *ca. 25.* Agarenos, inquit, & Ismaelitas, qui nunc Sarraceni appellantur, assumentes sibi falso nomē Saræ, quod scilicet de ingenua & domina videantur esse generati. Quo fit, vt & Partitarum lex auctores habeat non contemnendæ autoritatis ad probandam Sarracenorū originem, nominisque rationem. De origine verò nimis controuersam, at de nominis ratione illud fortassis rem dubiam facit, quod si à Sara dicerentur, Sarani, non Sarraceni dicendi forent. Deinde Plinius lib. 6. *cap. 28.* Sarracenorū gentem inter Arabes connumerat, & scribit Stephanus de vrbibus Græcus auctor, & is maximæ fidei, Sarracenos dictos fuisse à Saraco vrbe Arabiæ. Idem commemorat Paulus Æmilius lib. 7. *de Francorum hyst.* Quod magis arridet. Nam & Saracæ vrbes in Arabia meminit Ptolomæus lib. 6. *Geographia. c. 7.* & Amianus Marcellinus lib. 23. ita scribit, & in Asia Albanos, mare rubrum, & Scenitas Arabas, quos Sarracenos posteritas appellauit. His addere libet Maranos & Maranitas. Arabas esse Diodoro Siculo, lib. 4. & Straboni, lib. 6. Erasmus super epistolam Hieronymi ad Chomatium scribit, Diuum Hieronymum in Hebraicis questionibus significare Sarracenos ab Ismaele ortos, dictos à Sarram, quod Hebraica lingua sonat onagram. Qua in re vir aliqui diligentissimus, vel memoriæ lapsus, vel nimis festina Diui Hieronymi lectione prorsus hallucinatur, cum à Hieronymo nihil de dictione Sarram scriptum fuerit. Ita enim scribit, Ismael interpretatur exauditio Dei. Hic erit, inquit scriptura, rusticus homo: manus eius super omnes, & manus omnium super eum & contra faciem patrem suorum habitabit, pro rustico scriptum est in Hebræo. Phere, quod interpretatur onager. Significat autem semen eius habitaturū in eremo, id est, Sarracenos vagos incertisque sedibus, qui vniuersas gētes, quibus de deserto ex latere iungitur, incurant, & impugnantur ab omnibus. Hæc Hieronymus.

## CAPVT X.

## SYMMARIVM.

Quæ fuerit apud veteres Cretionum solennitas ex Vlpiano, & aliis auctoribus.

Crepulosum nimis Cretionum solennitate sublata esse ab Imperatoribus Theodosio & Valentiniano, constat ex *ca. 17. Cod. de iure delib.* Quæ vero fuerit Cretionum hæc solennitas, Vlpianus Iurisc. egregie tractat in *inst. tit. qui heredi. inst. possint.* Ex testimonio viri summe docti Francisci

Duare. *li. 2. disp. c. 41.* Nam Vlpiani institutiones nondū nobis licuit videre ante primam huius operis editionem: nam postea Vlpiani fragmenta sæpe legimus, Cretio, inquit Vlpianus, est certorū dierum spatium, quod datur instituto hæredi ad deliberandū, vtrum expediat ei adire hereditatem, necne. Velut, Titius hæres esto. Cernitoque diebus centum proximis, quibus, scieris poterisque, nisi ita creueris, ex heres esto. Cernere est verba Cretionis dicere, ad hunc modū: Cum me Mauius hæredē instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque. Sine cretione hæres institutus, si confiterit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate & amplius eam adire non potest. Cum cretione verò heres institutus, sicut cernendo fit hæres, ita non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis nō creuerit. Ideoque etiā si confiterit, nolle se heredem esse, tamen si superint dies cretionis penitentia actus cernendo hæres fieri potest. Cretio autem vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adiciuntur hæc verba: quibus scieri, poterisque. Continua, in qua non adiciuntur. Et qui vulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus sciat, se heredem esse, & potuit cernere. Ei vero, qui continuam habet cretionem, etiā illi dies computantur quibus ignorauit, se heredem institutū, aut sciuit quidē, sed non potuit cernere. Hæres aut instituti dicitur, aut substituti: instituti, qui primo gradu scripti sunt: substituti, qui secundo gradu, vel sequentibus heredes scripti sunt. Velut, Titius hæres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris, poterisque, nisi ita creueris, ex hæres esto, tunc Mauius hæres esto, cernitoque in diebus, & reliqua. Hæc sunt Vlpiani verba. Quibus mire conueniunt quæ Isidorus lib. 5. *Etymol. scribit, cap. 24.* Cretio, inquit, est certus dierum numerus, in quo institutus heres aut adit hereditatem, aut finito tempore Cretionis excluditur, nec liberum illi est, vltra capiendā hereditatis. Cretio appellata est, quasi decreto, id est, decernere & constituit, vt puta, ille hæres mihi esto, additurque, cernito intra dies tot. A deundarum autem hereditatum centesimus statutus erat dies, quibus non est Cretio addita. Hæc Isidorus, cuius loci meminit Andr. Alcina *lib. 3. disson. capit. 7.* Hæc ratione veteres cernere hereditatem dicebant, pro adire hereditatem, auctore Felto Pompeio. Cicero in oratione de lege Agraria in Rullum. Quam hereditatem, iam creuimus. idem lib. 9. *epistol. famil. epist. 14.* ad Dolabellam. A te autem peto, vt me hæc quasi fallam hereditatem alienæ gloriæ finas cernere. Vtitur & alibi sæpe eadem dictione Cicero, quemadmodum tradidere Budeus *tit. de origine iuris.* & Alciat. in *d. c. 7.* Duarenus autem apud Ciceronem *li. 1. de oratore* ita legit: De his credo rebus, inquit Craffus, vt in cretionibus scribi solet, de quibus scieris, poteroque, tamen si vulgo legatur in conditionibus. Sic & apud Plinium *lib. 2. cap. 21.* vbi de Syderibus agens ita scribit, An crescerent, mouerenturque, cælo in hereditate cunctis relicto, si quisquam qui rationem eam caperet, inuentus esset. Pinitianus legendum censet, qui cretionem eam caperet, expuncta vulgata lectione. Sed & apud Varronem *lib. 6. de lingua Latina* locus extat hæc de re atrocem in modum laniatus, genuino tamen candori restitutus ex Plauto, cura & diligentia Petri Victorii, *lib. 7. variat. lect. cap. 1.* apud Plautū inquit Varro in Cistellaria, vbi legitur, Cum antehac te amavi, & mihi amicam esse creui, mea Gymnasium, valet constitui. Itaque hæres cum constituit se heredem esse, dicitur cernere, & cum id fecerit, creuisse. Hæc Varro, qui & *lib. 5.* ita inquit, cerno dictum à creuo, id est, à creando, creuo. ab eo quod cum quid creatum est, tunc denique videtur. Hinc fines capillorum descripti, quod finis videtur discrimen & qui id testamento, id est, facito videant deesse heredem. Itaque in cretione adhiberi iubet testes, Verum & hic locus à memine quod sciam, animaduersus, non minorē dilaniationem patitur. Ipse quidem ita legerē. Hinc fines capillorū discreti, quod finis videtur discrimē. Et qui in testamento dixerit cernito, id est, facito videant deesse heredem. Itaque in Cretione adhiberi iubent testes.

Sed & *lib. 4. codicis Theodosiani* titulus extat primus de cretione, vel honorum possessione, & in *l. i.* inquit Impera. Theodo. & Valentinianus. Et cum legitima successio non solum in matre, verum etiam in successoribus longius constitutis, non honorum possessionis petitionem, non Cretionis solennitatem cogitur custodire, qualicumque contenta aditæ, vel adeundæ hereditatis indicio, quanto magis pater talibus

talibus est vinculis exuendus? Quae quidem verba plane poterunt ex superius traditis explicari, vt illa Plinii *lib. 10. epistola de testamento L. Argi.* Rogauit inquit testamento, vt hereditatem suam adirem, cerneremque, ac deinde perceptis 50000. nummum, reliquum omne Heracleotarū & Theanorum ciuitatibus redderem.

Ex quibus apud Gratianum *cap. vii. distincti. r. legendū* erit: vel creditio: vbi falso legitur curationibus, nam & apud ipsum Isidorum *lib. 5. ca. 9.* extat adhuc vera & integra lectio. vt itur elegantissime hoc verbo Prudentius in hymno de Epiphania: Altrice te, summo patri haeres creator vnicus, Homo ex Tonantis spiritu, Idemque sub membris. Deus, Hunc & Prophetis testibus, iisdemque signatoribus Testator & sator iubet Adire regnum & cernere. Hinc & error constat Nonii Marcelli, qui cernere hereditatem interpretatur in hunc modū, vt filii dicantur cedere patribus hereditatem.

## CAPVT XI.

## SYMMARIVM.

*Inscriptio quaedam apud Gentianū expenditur, veraque eius lectio restituitur.*

Gratianus omnium, quos illaetas tulit, vir diligentissimus: ex vniuersalis ecclesiae prouinciarumque synodis, nec nō ex Augu. Hier. Chrysof. & aliis aureum decretorum librum non vulgari industria concinnatum nobis relinquens: magnam iuris diuini & humani professoribus vtilitatem adeo comparauit, vt plane qui eius lectionē vel omiserit, vel negligenter fuerit ingressus, multarum rerū cognitione priuatus. iure sit ex albo eorum delendus, qui iuris diuini & humani professores censentur. Tot tamen fecerat liber is mendis iniuria temporum, vt si de republ. ac re literaria bene meritissimus censendus, qui huic auctori emendando ac corrigendo, totque maculis expurgando operam dederit. Nos equidem quandoque id facere constitimus, cuius laboris iudicium fortassis, & in his quae publica iam fecimus, & quae dum vixerimus, typis tradentur, satis erit lectori cognitum, & tamen tercentum fere locis iam animaduersis, ac restitutis superferendum fore decreuimus, quod nobis fuerit compertum, Antonium Augustinum Romae huic negotio egregiam adhuc operam impendisse prope ad vmbilicum. Cuius eruditioni. variaeque lectioni, ac diligentiae cedentes vt par est. minime veremur aliquot loca expendere, dum plura difficilioraque ab aliis suo iuri restituta speramus. Extat apud Gratianū in scriptio quaedam. *13. qu. 2. ca. de neptris.* his sane verbis: Idem Saceratio Rege Aragonum. Cui titulo, vt & plerisque aliis parum fidendum esse censuit Ioan. Valesus, vir diligentissimus in chronicorum Hispaniae priorum *Tomo. cap. 18.* & merito, cum ex regibus Aragonum nullus nomen hoc vnquam habuerit, nec alicubi eius mentio. Nos locum istum ita castigandum esse censimus. Item Sanctio Aragonum regis. huiusque castigationis ea est non leuis ratio, quod Anton. Beuter canonicus Valentinus res illius ciuitatis memorabiles sermone Hispano erudite ac studiose describens, eiusdem historiae meminit cuius & a Gratiano mentio sit, commemorans *lib. 2. cap. 8.* Sanctium Aragonum regem strenuum cuiusdam militi, infamiae tamen sortis homini, neprem vel ex fratre vel ex sorore, vxorem iuramento prestito despōdiffe, ob insignem regi nauatam operam in reb. militariibus, quas rex ipse praecclare gessit aduersus Christiani nominis hostes, qui tunc ex Arabum gente totam fere Hispaniam occupauerant. ea vero spontalia omni conatu neptē repudiasse, idque cogisse scribit anno ferme a Iesu Christi redemptoris nostri natiuitate 1083. Qua de re consultus postea summus ecclesiae pontifex Urbanus secundus, qui promotus est ad summum pontificatum, vt historici tradidere Anno 1087. Sanctio Regi respondit. non esse cogendam eius neptem maritum accipere, in quem nec ipsa consensisset, nec consentire vellet. Qua ratione Pontificia despōdiffe adscribenda est Urbano secundo, non Hormisdā pontifici. Nam etiam si eiusdem quaestiois caput secundum Hormisdā pontificis sit ad Eusebium Episcopum, id tamen responsum, qui ex paleis est deduci e medio debet, & caput tertium ad Sanctium Aragonum rem destinatum adscribi debet Urbano, cuius est caput illius quaestiois primum, idque ratio temporis maxime suadere videtur, siquidē Hormisdā pontifex summus ad eam fuerit dignitatem electus

anno domini 517. quo tempore, & multo post quingentesimo fere annis nondum habuit initium Regum Aragonensium principatus.

Denique apud Ioannem Carnotensem in Pannonia *lib. 6.* praecitatus Gratiani locus adscribitur Urbano ad Sanctium Aragonū Regem. Quamuis decreto Iuonis Louanii opera Ioan. Moli. in lucem edito, falso legitur: Satino regi Aragonum *part. 8. capit. 24.*

## CAPVT XII.

## SYMMARIVM.

*Apud eundem Gratianum de Iuliano Caesare quaedam obseruationes Regis adnotantur.*

Vndecima causa, & quaestione tertia inquit Gratianus. Item Ambrosius, Iulianus Imperator, quamuis electa postata, habuit tamen sub se milites, quibuscum dicebat, Proditore acie pro defensione reipub. obediebant ei. Cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc cognoscebant Imperatorem caeli. Haec inquit Gratianus. nā apud diuum Ambrosium in his operibus, quae eius titulo modo extant, & publice typis traduntur, nondum potuit locum istum deprehendere. Extat tamen apud D. Augustinum in *Psal. 124.* qui omnino legendus erit, eadem caus. & quaestio. *3. Iulianus sub cap. Impera.* ex eodem Augustino & Iuone Carnotensi. *par. 5. cap. 7.* Verum apud Gratianum illud est primum obseruandum Iulianum Caesarem dictum fuisse apostatam ex eo, quod cum primum in Cappadocia non longe a Caesarea cum Gallo Caesare simul educatus & institutus ita fuisset, ut praecceptoribus vt non verbis modo, sed & factis studium ardoreque in religione Christiana insigniter ostendisset. demum ariolorum consuetudine adductus, ac Libanii sophistae, qui tūc Nicomediae ludum aperuerat, quā in urbem translatus erat Iulianus iussu Imperatoris Constantij, clam libris comparatis, cum ad eum accedere ei fofort interdixit, eundem sophistam diligenter imitatus pietatem Christianam primum abiectit, deinde à Maximo Philosopho, non Byzantio sed Epheso, non mediocriter ad imparandi libidinem ariolorum sacris initiatus excitatur, & ad Christianismi odium producit. Quae ratione in grauium rerum suspicionem cum Constantio incidisset, capite tonso ad eam suspicionem tollendam monachus factus est, atque ita, quem antea re vera repperat, cum falso praese tulit Christianismum, atque occulte philosophiae operam dedit, aperte autem in lectionum Nicomediae ordinem lectus, sacras publice legit literas, donec adhuc superstitite Constantio, & eo mortuo imperio potitus, tam impudenter religionem Christianam abiurerit, vt ipsum etiā pernegauerit Christum, ac repente simulationi quoque illi, qua Christianum se esse finxerat, nuncio remisso, demonum templa frequentauerit sacrificans, simulque pontificem seipsum appellans, Gentilium mysteria, ritus, & sacrificia, diesque festos paganorum agere permiserit. Haec sane constant ex Socrate *lib. 3. histor. eccles. cap. 1.* Theodorito *lib. 3. capit. 2.* Sozomeno *lib. 5. capit. 2.* Nicephoro *lib. 10. cap. 1. 2. & 3.* Cassiodoro in tripartita *capit. 1. 2. & 3.* Sed & ipse Socrates *lib. 3. capit. 14.* Iulianum expressim apostatam appellat. Et quidem merito, cum & victimarum gentiliū sanguine sacrum baptismi lauacrum si abluerit, atque seipsum à miseris ecclesiae ex autoratū excluderit. Quod iudem auctores tradidere, praesertim Sozomenus *lib. 5. ca. 2.* Chrysof. *lib. vno contra gentiles.* Gregorius Nazianzenus in oratione *1. contra Iulianum.* Nicephorus & Cassiodorus in praecitatis locis. Ex quibus intelliges, quae D. Ambrosius in oratione de obitu Theodosij Imperatoris de Iuliano ita scribit: Inde reliqui Principes Christiani, praeter vnum Iulianum, qui salutis suae auctorem reliquit, dum philosophiae se dedit errori, inde Gratianus & Theodosius haec Ambrosius. Sed & impius hic Iulianus eo furoris proeductus erat, vt Christum per contumeliam Galilaeum appellaret. Hoc etenim nomine Iesum Christum, & Christianos omnes ex cōuitio quodā appellasse, auctores sunt in hist. eccl. Socrates *lib. 3. c. 12.* Theodor. *lib. 3. c. 8. & c. 21.* Sozomen. *lib. 5. c. 4.* Cassiodo. in tripartita *lib. 6. c. 44. & 47.* Ruffin. *lib. 10. hist. eccl. c. 35.* Nazianzenus in dicta oratione: Ioan. Chrysof. *libro vno contra gentiles.* Hieronymus in episto. ad magnum oratorem & Nicephorus *lib. 10. c. 4. & 20.* Impietatis & blasphemiae temerarius hic princeps tandem poenas dedit diuina ultione punitus, quippe qui in bello Persio prope Ctesiphontem urbem, incertum an ab hoste, vel à suis fuerit occisus, & ore proprio diuinae